

- nis matre, de dilectissimo Aristotelis filio Nicomacho; verum ut interius rimeris animorum, quæ extitit, constitutionem, animi corporisque singulorum philosophorum temperamentum, quærasque quid, quomodo, quibus ex causis, quid fecerint vel divinus Plato, vel summus Aristoteles, vel subtilissimus Svarez? Inde progrediari oportet ad peculiare *docendi modos*, quos sequuti sunt v. c. Pythagoras, Socrates, Aristoteles. Juvabit etiam observasse *fata tum sectarum* tum singulorum philosophorum, ut quæras: cur Epicurus Romæ non æque gratus fuerit ac Zeno? cur Plato placuerit veteris ecclesiæ doctoribus? Denique poterit etiam quispiam nexum *philosophiæ & christianismi* investigare, ut videat, quid huic profuerint vel nocuerint Plato, Pythagoras, Aristoteles, Zeno, Cartesius, nisi forte quis hæc convenientius ad ecclesiasticam retulerit historiam, ubi me habebit facillimum.

§. VI.

*De usu historiae philosophicæ perverso.* Quæ cum consideret historia philosophica, facile nunc est judicare, quanta sit ejus præstantia, quanta utilitas. Equidem id facile concesserim, ejus studium non multum conferre ad munus quodpiam vel ecclesiasticum vel civile mercandum, neque multum exinde lucri promittere sibi posse Midæ marsupium crediderim; postquam solida eruditio contemni, superficialia laudari, falsa ad cælum usque extolli & opibus honoribusque ornari consuevit, unde quoque negligi cœperunt solidæ eruditionis instrumenta. Interim tamen & hoc scio, non omnes, qui litteras colunt, ita sancto inhiare denario, ut omnem eruditionis dignitatem lucro panis mendicantium more metiantur. Neque hoc volo ut studio historiæ philosophicæ ad oblectationem animi utantur solidiori eruditioni sacrata ingenia, quod pestis studiorum quam plurimis extitit. Ut enim hæc, quam dicimus, eruditionis pars summa se commendat jucunditate, quam obvientium rerum nobis proponit varietas; inique tamen ageretur

completa hujusmodi historia non potest fieri